



**R. P. Georgii de Rhodes Avenionensis S. J. disputationum
theologiae scholasticae tomus ...**

Rhodes, Georges de

Lugduni, 1661

Sectio I. Existentia, & vnitas specifica habitus Charitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81987](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81987)

uius cognoscitur peccatū expresse iuri suo cessit de conseruanda in hac parte fama, & est professus leparatum esse, ad maiorem spiritualem profectum ut peccata sua etiam occulta, superiori tanquam patri manifestentur, nulla prius prēmisa secreta monitione, quod laudabiliter fieri & praescribi apud ordines religiosos quā plurimos certum est, & egregie tuerentur citati auctores ac omni genere auctoritatum & rationum confirmant.

QVÆSTIO V.

De habitu charitatis. S. Thomas. q. 24.

Quacunque de hac qualitate habituali omnium in nobis fonte benedictionum, disputari possent, partim dicta sunt in Tractatu de gratia, quam aliqui confundendam putant cum charitate, partim in disputatione prima sunt exposita cum dixi de habitibus Theologicis vniuersim, mihi ergo nunc tantum superest primò dicere huius habitus existentiam & vnitatem specificam: secundò primam eius productionem, augmentum, & perfectionem, tertio diminutionem eius & corruptionem.

SECTIO I.

Existētia & vnitās specificā habitus charitatis.

Dari habitus supernaturales in hominibus iustis ad quosque actus supernaturales, per quos non facilliteretur, sed compleatur potentia, demonstratum est saepe alibi. Sed magister tamen in primo diffinit. 17. concedit reliquos habitus Fidei & Spei esse creatas qualitates, sed negat vllum esse in nobis habitum charitatis praeter Spiritum ipsum sanctum, quem vult esse in nobis loco huius habitus, & ab eo elici omnino immediatè actum charitatis eo modo quo actus Fidei, & Spei producuntur ab ipsis habitibus Fidei & Spei. Alij vt Bellarminus existimant dari quidem habitum charitatis distinctum à Spiritu sancto, sed illum non distingui realiter à gratia habituali. Denique multi cum Lessio l. 2. de summo bono Coninx disp. 23. dubit. 3. Lugo disput. 20. de incarnat. sect. 1. concedunt dari habitum charitatis in homine iusto, sed eum esse speciem diuersum ab habitu charitatis, quem beati habent in patria.

Ratio verò dubitandi est primò, quia primæ Ioannis 4. dicitur *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* si autem Spiritus ipse sanctus non sit charitas illa quā fit in nobis actualis dilectio, nullum est argumentum Apostoli quo probat eum qui habet in se charitatem habere in se Deum, & esse in Deo quo etiam asserit sine dubio Augustinus l. 8. de Trinit. c. 8. explicans locum illum Ioannis Apostoli. Imò etiam saepe docet quod charitas separat hominem à vanitate, & illum conformat Deo, quod nullum est bonum illo melius, denique rectè tradit S. Thomas art. 2. ad tertium, quod charitas dum coniungit nos Deo, infinitum effectum habet. Quæ omnia falsa sunt si charitas non est persona ipsa Spiritus sancti.

Secundò, actus charitatis quem viator elicit, differt specie ab actu charitatis qui elicitur in patria, ergo habitus charitatis qui est via, differt ab eo habitu charitatis qui est in patria probo antecedens, nam amor naturalis & amor supernaturalis, virtutes morales naturales, & virtutes morales supernaturales specie differunt ex eo quod cognitiones diuersæ

speciei ipsis prælucent, amor enim naturalis prælucentem habet cognitionem naturalem, & amori supernaturali prælucent cognitio Fidei, sed charitati viatorum prælucent fides, charitati autem patriæ visio prælucent, ergo tam differunt amor viæ & amor patriæ, quā amor naturalis & amor supernaturalis.

Tertio, amor liber, & amor necessarius specie differunt, amor patriæ necessarius est, amor viæ liber, ergo illi amores differunt specie. Imò in Christo fuerunt ambo illi amores quod signum est illos esse diuersæ speciei. Deinde non potest eadem res esse primum simul & meritum, amor viæ meritum est, amor patriæ primum. Denique illi duo amores habent effectus diuersos nam gaudium beatificum maxime differt à gaudio quod habetur in via. Imò charitas patriæ impossibilis est cum peccato veniali, cum quo stat sine dubio charitas viæ.

Dico primò, habitum charitatis qui est in omnibus iustis esse qualitatem creatam in homine permanentem, distinctam realiter à persona Spiritus sancti, & à gratia etiam habituali, cuius est proprietas prorsus inseparabilis.

Primam partem, communiter Theologi docent contra magistrum, & eam satis ex disputatione constare potest esse certam ex fide vt satis probant allata ibi Scripturæ *manent tria hæc, fides, spes, charitas*, sicut enim Fides & Spes sunt, qualitates distinctæ à persona Spiritus sancti & ab eo infusæ, sic & charitas, de qua etiam expressius dixit Apostolus, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, vbi manifesta est distinctio charitatis diffusæ, à Spiritu sancto eam diffundente. *Charitas quippe Dei dicta est diffundi* inquit Augustinus l. de Spiritu & littera c. 32. *non quā nos ipse diligit, sed quā nos efficit dilectiores suos.* Et ratio aperta id probat, quoniam actus aliarum virtutum vt producuntur connaturaliter exigunt principium intrinsecum & inherens potentie, per quod producuntur: ergo vt actus charitatis producatur connaturaliter exigit huiusmodi principium, quod non potest esse nisi qualitas creata, nam persona Spiritus sancti non iuhæret animæ iusti, sed moraliter tantum illi vnitur.

Secundam partem de distinctione charitatis ab habitu gratiæ satis probasse videor in Tractatu de gratia quaestione penultima.

Dico secundò, habitum charitatis qui est via, esse illum eundem habitum qui perseverat in patria. Hæc etiam communior est inter Theologos paucis illis exceptis, quos adducebam.

Ratio verò efficacissima ducitur ex Apostolo *charitas nunquam excidit*, quod esset falsum si habitus charitatis qui est via æque periret, ac excidit habitus fidei adueniente lumine Gloriæ, si enim dicatur quod charitas non excidit secundum rationem genericam amoris, sic neque fides excidit secundum rationem genericam cognitionis. Deinde idem omnino est obiectum charitatis tum in via, tum in patria, Deus enim amatur vt summè bonus & totum bonum: neque cognitio sola sufficit ad mirandam rationem formalem obiecti, cum non sit nisi conditio propensio obiectum formale: tunc igitur tantum cognitio diuersa efficit obiectum formale diuersum, quando proponit obiectum amabile diuerso modo: visio autem beata, etiam si Clarius proponat totam Dei amabilitatem, quam fides, non proponit tamen nisi eandem illam amabilitatem, quam proponit fides, sed obfcurius, & tanquam lucerna lucens in Caliginoso loco.

Ad primam, Resp. locum illum S. Ioannis duplicem

Conclusio prima.

Habitus charitatis non est ipse Spiritus sanctus.

Distinctio charitatis à gratia.

Conclusio secunda.

Probatio.

Triplex sententia de habitu charitatis.

Solutio prima. plerumque posse habere sensum, primò enim dicitur, quod Deus est charitas, non quâ nos Deum diligimus, sed quâ diligimur à Deo, qui enim manet in charitate amando Deum, manet etiam in charitate quâ diligitur à Deo, & cum charitas illa quâ nos Deus amat, sit ipse Deus, nemo Deum diligit, quin in Deo maneat, nemo enim Deum amat, quem non, amet Deus, sic enim quia Deus charitas est increata, ille qui charitatem habet creatâ manet in Deo, quia Deum amat, & manet in eo Deus quoniam amatur à Deo; hæc enim est mutua unio, & velut infessio circularis diligentis, & dilecti. Altera eiusdem loci expositio est, quod qui Deum amat manet in Deo qui charitas est, quia quisquis in se ipso creatum habet donum charitatis, concomitanter etiam habet donum increatum Spiritus sancti, nouo modo existentis in homine & præsentia illum sanctificantis; & hoc modo intelligendus est Augustinus quoties charitatem existentem in homine dicit Deum esse manentem in nobis, concomitanter nimirum, non formaliter, & sic separat hominem à vanitate, quem soli vnit veritati, neque vllum est bonum illo melius, cum & ipsa præstantissimum sit inter creata omnia charismata, & infinitum illum effectum habet, dum nos vnit Deo, facitque spiritum vnum cum eo.

Solutio secunda.

Ad secundam, respondeo discrimen amoris patriæ ac viæ, non esse nisi accidentale, vnus enim est altero intensior, & vni præluet cognitio clarior, quam alteri. Cognitio diuersa, vt dixi, non sufficit ad diuersitatem essentialem actuum voluntatis, nisi proponat obiectum diuersum. Amor & virtutes morales non sunt supernaturales, præcisè ob diuersam cognitionem, sed quia cognitio Fidei proponit aliquid formaliter quod non proponit cognitio naturalis, vt sæpe satis dictum est.

Solutio tertia.

Ad tertiam, respondeo negando quod necessitas & libertas distinguant actus essentialiter, libertas enim vt probabam, est pura denominatio extrinseca nihil mutans intrinsecè in actu. Fuit in Christo vterque ille amor vt probabam tertia parte contra eos qui volunt eundem amorem esse necessarium prout pendet à visione, liberum autem prout pendet à scientia infusa, quod ostendebam esse impossibile, sufficere autem discrimen accidentale vtriusque amoris, vt ille admittatur in Christo esse duplex. Similiter potest eadem res secundum diuersas rationes esse meritum, & esse præmium, nam eadem charitas quæ secundum se meritum est, quatenus à visione oritur & est fons gaudiorum, merces est magna nimis. Gaudium ortum ex charitate patriæ non differt specie à gaudio quod oritur à charitate viæ, quamuis intensius sit & purius altero. Charitas viæ aliquando ita perfecta est, vt excludat etiam omne peccatum veniale, talis enim illa fuit in Virgine Deipara.

SECTIO II.

De prima productione, augmento, perfectione habitus Charitatis.

Tria illa simul iungo, quia licet multa sint in singulis difficultia, tamen positis iis quæ de habitibus Theologicis olim sunt præmissa, vix aliquid superest de habitu Charitatis speciatim dicendum. Vnde pauca solum annoto circa illa singula, quæ tamen rem totam penitus conficiunt.

§. I.

Quenam sit causa producens in nobis habitum Charitatis.

DE sola, loquor, causa productiua Physica, quam aliqui cum Granado volunt esse gratiam ipsam sanctificantem à qua putant illam debere produci per emanationem, quia, inquit, nulla est forma quæ per emanationem suas non producat proprietates: alij volunt habitum charitatis physicè produci per actum. Denique cõmunius dicitur causam hanc Physicā esse solum Deum, à quo infundatur Charitas. Rationes dubitandi allatæ aliis & solutæ sunt.

Dico primò, habitum Charitatis non produci per emanationem à gratia sanctificante, neque produci Physicè per actum, sed infundi à solo Deo, actu Charitatis influente moraliter tantum & meritotiorè.

Prima pars, latius probatur à Suare l. 6. de gratia c. 13. de Lugo disp. 16. de fide sect. 1. ratio breuiter sit, quia si à gratia sanctificante Physicè emanaret habitus fidei, deberet etiam ab ea emanare Physicè lumen gloriæ adhuc in via, & deberet in patria emanare fidei lumen ab eadem gratia, alioqui perpetua erit violentia. Deinde in peccatore manent Fides & Spes, ergo non conseruantur per gratiam Physicè operantem, ergo neque conseruantur aut produciuntur primò charitas. Denique ratio à priori alias etiam allata est, quia quoties aliqua proprietas non exigitur determinatè per formam, toties implicat vt illa connaturaliter & Physicè, producat per talem formam, sed gratia non exigit determinatè istos habitus, nam exigit fidem vel lumen gloriæ, ergo habitus virtutum non emanant physicè à gratia. Et hinc respondetur ad argumentum Granadi de formis quæ produciunt suas proprietates per emanationem, hoc enim est verum de formis quæ determinatè suas proprietates exigit tunc enim per emanationem possunt illas producere, si autem non illas exigit determinatè, non illas produciunt per emanationem vt dixi etiam de speciebus Angelorum, quas negabam emanare posse physicè à substantia ipsorum, quia non exigit illas determinatè.

Instabis habitus charitatis exigitur à gratia ipsa determinatè, quia sunt amba inseparabiles, ergo saltem habitus charitatis emanare poterit à gratia, sicut aliæ proprietates à suis formis emanant.

Respondeo negando etiam consequentiam, nam altera etiam disparitas est inter gratiam & formas substantiales, nam proprietates gratiæ dantur in præmium operum bonorum, non autem proprietates aliarum formarum.

Secunda pars, negans actum esse physicam causam huius habitus, probata est aliis vniuersim & specialius de charitate videtur certissima dicente Apostolo quod charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui simul dat se ipsum cum ipsa charitate quam diffundit. Primò ergo iste habitus est per se infusus, ergo nullus est illius gradus qui non diffundatur à Deo immediatè, quia illi omnes homogenei sunt, & ille qui est primus esse potuit vltimus: imò adultus peccator plures sæpe gradus obtinet simul, ergo illi omnes produciuntur solum moraliter per actum, & sanè causa quæ non est sufficiens ad producendum primum gradum alicuius qualitatis, multo minus esse potest sufficiens ad producendum tertium & quartum. Deinde isti habitus nunquam connaturaliter produciuntur per actum, nisi quando ille actus est meritorius, vnde in peccatore

Triplex sententia.

Conclusio.

Charitas non emanat physicè à gratia.

Solutur argumentum Granadi.

Instantia præcluditur.

Actus charitatis non produci physicè habitum.